

**Dissertatio de veritate divinae de Christo doctrinae ex
Judaeorum partim testimoniis partim criminibus & calumniis
illustrata & confirmata : qua ad audiencias duas orationes
quibus diem illum quo in ... Georgii II ... verba ducatus
Bremensis ac Verdensis jurabat ...**

<https://hdl.handle.net/1874/27148>

Q. D. B. V.

8

DISSERTATIO

De veritate divinæ de Christo doctrinæ ex Judæorum partim testimoniis partim criminibus & calumniis illustrata & confirmata

QUA

AD AUDIENDAS DUAS ORATIONES QUIBUS DIEM ILLUM

QUO

In Augustissimi Regis Sui

POTENTISSIMI NIMIRUM ET SERENISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

GEORGII II.

MAGNÆ BRITANNIÆ FRANCIÆ ET HIBERNIÆ

REGIS FIDEI DEFENSORIS BRUNSVICENSIVM AC LUNEBUR-

GENSIUM DUCIS S. R. IMPERII ARCHITHESAU-

Rarii ET ELECTORIS RELIQUA

Principis optimi felicissimi fidei & publicæ salutis statoris verba

D. 14. SEPT. MDCCXXIX.

DUCATUS BREMENSIS AC VERDENSIS JURABAT

ET

AUGUSTISSIMO REGI FIDEM atque OBSEQUIUM

HUMILLIME PROMITTEBAT

DUO GYMNASII NOSTRI ORDINIS SUPERIORIS CIVES

SACRUM AGEbant ATQUE SOLEMNEM

Procures utriusque Reipublicæ litterarum Mæcenates Fauto-

res & rei Scholasticæ amatores omni pietate invitati

ANDREAS CONRADUS WERNER

GYMNAS. RECTOR.

STADÆ, LITTERIS EHLERIANIS.

CONSPECTUS DISSERTAT.

Divina de Christo veritas recte illustratur ex profanis scriptoribus §. 1. Jesu servatoris in Talmude sit mentio. §. 2. Et dum fatentur Judæi, illum esse Mariæ filium, vel inviti confirmant veritatem de Christo. §. 3. Ejus porro agnoscunt miracula. §. 4. Illum mortem subisse docent. §. 5. Testimonium Josephi de Christo adducitur. §. 6. Phrasis: verbum Dei, a Jonathane eodem modo usurpatur, ut in novo fœdere a Johanne, de Christo. §. 7. Quædam loca, quæ in V. T. de Christo agunt, adducuntur, & probatur, illa etiam a Judæis de Messia intelligi. §. 8. Ex scriptis Judæorum Christi discipuli recensentur. §. 9. Denique concluditur. §. 10.

§. 1.

Divinam de christo veritatem, quam sacrarum litterarum monumenta tradunt, nullo profanorum quidem scriptorum testimonio, quo probetur & confirmetur, indigere, nemo fere erit, qui in dubium vocare audeat. Ipsa oracula divina, quæ afflatu divino edita, & per spiritum S. cum sanctis hominibus, vatibusque divinis communicata sunt, majorem ceteris & publicam merentur fidem: quia Deum habent auctorem, qui omnis fraudis & erroris expers est. Hæc autem omnia ista, quæ ad divinitatem, personam, & officia Christi ac statum pertinent, tam clare memoriæ prodiderunt, ut nihil unquam proferri potuisset clarius. Nihilominus tamen in tanta sacrarum litterarum luce, illi quoque insignem merentur laudem, qui auctorum a vero Dei cultu, qui a Christo nomen habet, alienorum, testimonia quibus veritas divinæ de Christo doctrinæ illustratur, in veritatis lucem proferre studuerunt; his enim si non probatur divina ista doctrina, illustratur tamen, & Dei sacrarumque litterarum contemptorum pravitas impietasque arguitur ac refellitur. Non solum autem horum sacrarum litterarum expertium testimonia, sed etiam convitia & crimina, quibus pium hominum liberatorem adspargere haud sunt veriti, veritatem divinæ doctrinæ evincunt, & clarissime loquuntur, omnia ista quæ sacræ paginæ de Christo proferunt certissima esse, quamvis plerumque calumniandi studio veritatem sub fabula-

bularum involucris propofuerint. Talia profecto apud MARONEM (a) extant verba, ex Sibyllinis carminibus deprompta, quibus ille, id nesciens, Christi adventum & beneficia ab illo parta, multis ob oculos nobis posuisse & laudibus celebrasse visus est. In Sibyllinis libris ad nos perductis tam clara profecto & distincte de Christo prædictiones inveniuntur, ut ipsos novi fœderis libros te legere arbitreris: in illis enim, ut exempli loco quædam adducamus, legimus: liberatorem illum filium Dei fore, ex virgine nasciturum, nominatum iri Jesu, miracula ingentia innumeraque factorum; denique cruci adfixum iri a Judæis, resurrecturum ad gloriam & vivos mortuosque judicaturum esse. Sed in qua auctoritate habenda sint hæc litterarum monumenta, cum eruditissimi viri jam dudum de hac re disputaverint, in præfenti non commemoro. (b) Huc quoque spectare multis videntur verba CICERONIS (c) quibus se erigit, *observemus*, scribens: *libros Sibyllinos: vocandus est nobis rex aliquis, si modo salvi esse volumus.* Christi liberatoris optimi nomen in Deorum cultorum scriptis haud esse ignotum, testantur verba SÆTONTII gravissimi historici, qui in vita Claudii (d) scribit: imperatorem istum Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulisse: Et TACITUS (e) auctor, inquit: *nominis (Christianorum) Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Aurea certe est epistola, quam ad Trajanum de christianorum rebus perscriptam reliquit PLINIUS (f), in qua ita de divino eorum cultu loquitur, ut, si quasdam tantum duriores invectiones, & infamiam, qua illos ad-

sper-

- (a) Sic putavit Eusebius de vita Constant. L. V. c. XX. Sed conf. de hac re Crasset. Diff. de Sibyllis, p. 110. Joh. Henr. Bœcler Diff. Academic. Tom. posterior Exercit. XI. Fabricius Bibl. græc. L. I. c. 3. §. 14. & cl. Eckhardus in non christianorum de christo testimoniis p. m. 44. sqq. (b) Conf. Petitus de Sibyllis, Vossius de libris Sibyllinis. Fabricius in Bibl. græc. & cl. Tob. Eckhardus l. c. p. 32. sqq. (c) conf. Hallbauerus in Diff. sacra in profanis p. 39. & Eckhardus l. c. p. 69. sqq. (d) c. 25. (e) Annal. Libr. 15. (f) Epistol. L. X. Epistol. 97.

spergere conatus est, exceperis, nunquam a Deorum cultore, qui omnis veritatis divinæ expers erat, melius fieri potuisset. Memorat enim: illos, qui confirmati essent in cultu christianorum, cogi non posse, ut Deos appellarent, iisque thure ac vino supplicarent, aut Christo maledicerent; quamvis intelligerent, se, nisi hoc fecerint, in summum venturos periculum. Summam vel culpæ, vel erroris illorum fuisse refert, quod soliti essent statim die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo invicem dicere: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ipsis discendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium. Queritur deinde de incrementis religionis christianæ, ad quam se multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus convertant, adeo ut non tantum civitates sed vicos etiam atque agros superstitionis, ut ipse appellat, istius contagio sit pervagata(g). Jam omit- tam duas epistolas Pilati, quarum una ad Claudium, altera ad Tiberium imperatores Scripta est, in quibus multa memoria digna de Christo occurrunt; (h) ac Abgari ad Christum, quæ in celeberrimi Fabricii (i) scriptis hac de re compositis legi, & inde quid de illis sentiendum sit, intelligi potest (k). Miracula Christi in publicos Pilati commentarios relata fuisse testatur JUSTINUS. Eadem concedit Julianus divinæ de Christo doctrinæ hostis: sanasse Christum claudos, cæcos, & dæmone correptos, adhibitis obtestationibus. Neque CELSUS ea negare audet, quamvis absurdus calumniator magicis artibus producta dicat. PHILOSTRATUS Christum dæmonia eiecisse, puellam mortuam vitæ restituisse, ali-

(g) conf. etiam Hallbauerus l. c. p. m. 40. §. 32. (h) Has legere poteris apud Fabricium virum celeberrimum, in codice apocrypho N. T. p. m. 298. sqq. quidque de illis sit judicandum, ex eodem discas auctore l. c. p. m. 298. sqq. (i) in codic. apocrypho N. T. p. 317. sqq. (k) conf. etiam

aque illius agnoscit miracula. Plura quidem ex scriptis hominum veritatis divinæ expertium testimonia proferre possemus, quibus diviniore de Christo doctrinæ veritas posset illustrari; sed quoniam jam alii de re publica litteraria præclare meriti, GROTIUS (l), HUETIUS (m), VOSSIUS (n), BUDDEUS (o), ANTONIUS (p), BENTHEM, FABRICIUS, HALBAUERUS, & qui olim Gymnasii Stadenſis ſuperiorem ornavit cathedram, eruditiffimus ECKHARDUS, cæterique doctiffimi viri fuſius argumentum iſtud ſunt perſequuti, reliqua, quæ ad hunc locum ſpectare videntur, ex illis huc trahi poſſunt; nos autem in præſenti hanc cœleſtem doctrinam ex Judæorum ſcriptis illuſtrandi conſilium cepimus.

§. 2. Jeſu ſervatoris optimi Judæos in illis litterarum monumentis, quæ Talmudis nomine veniunt, feciſſe mentionem (q), poſſem ſi opus eſſet, multis probare ſententiis, & dictis e Talmude deſum-

Pritii Introd. in Lectionem N. T. p. m. 7. ſqq. (l) de veritate religionis Chriſtianæ. (m) in Demonſtr. Evangelic. (n) in variis libris. (o) in Diſſ. de veritate religionis Chriſtianæ ipſis gentilium obtrectionibus confirmata. (p) in Diſſ. veritas chriſtianæ religionis ipſis Judæorum obtrectionibus confirmata. Halæ 1718. (q) Per Jeſum, qui in Talmude commemoratur, multi non ſolum ex Judæis, ſed etiam quidam ex Chriſtianis putant, non intelligi Jeſum quem Chriſtiani pro DEO colunt, ſed hominem, cui alia prorsus perſona impoſita fuerit. E Judæis huc pertinet Moſes Nachmanides Gerundenſis dictus, qui in colloquio olim celebri in arce urbis Barcellonæ juffu regis Jacobi A. 1263. habito in conſpectu multorum virorum doctorum hanc proponere ſententiam, & variis argumentis a rerum & circumſtantiarum varietate petitis defendere ſuſtinuit: ſed ejus errores egregie ſunt refutati. Poſtea Salomon Zevi in Theriaca Judaica c. 1. §. 7. p. m. Edit. Wülſeri 14. ſqq. X. argumentis in medium prolatis idem aſſertum propugnare voluit; quæ reſert Wagenſeilius in Sota p. 1054. & rejicit Wülſerus in animadverſ. ad l. c. p. 50. ſqq. Huc quoque referendi ſunt R. Gedalia in ſchalſcheleth Hakkabbala Edit. Venet. f. 24. col. 2. & plures alii. Inter Chriſtianos hac in parte Judæis favebat egregius olim Orientis linguarum doctor Schickardus in ſuo Tarich p. 83. ſqq. qui iisdem,

desumptis, sed pauca sufficient. Multa profecto proferunt partim de ejus ortu, parentibus, & juventute, partim etiam de adulta illius ætate ac factis; quamvis hæc ita inter se pugnent, ut, quænam verior horum auctorum sit sententia, a nemine fere possit intelligi. Nunc enim commemorant, eum MIRJAM Magdala fuisse filium (r); nunc autem STADA, seu ut Schickardus pronunciat, Sadta procreatum esse (s); mox etiam PANDERÆ natus dicitur (t). Qua in re sine dubio data opera sibi contradicere voluerunt, sive ut ludibrio exponerent & contemptui majori optimi liberatoris hominum natales, sive ut fucum facerent, & lectoribus in primis Christianis imponerent; vel etiam quo Christi cultoribus, inter quos ipsis vivendum esset, eo facilius persuaderent, Jesum Christiano-

quibus Zevi, utitur argumentis. Sed hæc eleganter refutata sunt a Rud. Martin. Meelführero in 2. Diss. Jesus in Talmude, Altdorfii 1699. & quidem integra fere Diss prima, item a Wülfero l. c. Wagenfeilio l. c. & aliis. Quod autem per Jesum in Judæorum scriptis, quæ Talmud ab illis appellantur, nemo nisi benignissimus servator debeat intelligi, patet tam ex eo, quia pleraque, si non omnia, quæ de Jesu ibi traduntur, quamvis ex impio animo, & criminandi studio sint profecta, in Christum & ejus vitæ historiam quadrant. Memorant enim illum Mariz fuisse filium, schabbath. f. 104. col. 2. Sanhedrin. f. 67. col. 1. Illum cruci esse affixum vespera paschatis, Sanhedrin. fol. 67. col. 1. & fol. 43. col. 1. & inter ejus discipulos fuisse Matthæum, & Jacobum, Sanhedrin. f. 43. col. 1. Avoda Sara f. 17. col. 1. quam etiam ex claro Judæorum testimonio. Nam expressis verbis ab illis appellatur: Jesus Nazarenus, in Sota f. 47. 1. & Schabbath. f. 104. col. 2. Plura in hanc sententiam vid. apud B. Edzardum in Verf. Tr. Avod. Sara, p. 300. sqq. & Abarbanelem, qui libere fatetur: בחרבן בית שני ישוע נפטר Conf. Bynæus de Natal J. C. p. 572. R. Abraham Zachut in sepher Juchafin. f. 16. col. 2. (r) in Sanhedrin. c. 7. conf. R. Nathan Lexic. Talmud. voce: מגדל, & Saubert. oper. posthum. p. 122. (s) in Schabbath. c. 7. Sanhedrin. Hierosolym. c. 7. & Jevammoth. c. ult. conf. Schickardus in Tarich p. 84. & Buxtorf, L. T. p. 1459. sqq. (t) in Sanhe-

ftianorum Deum longe a Talmudistarum Jeshu differre, aliumque omnino ab illis intelligi. Sic autem Judæi in Talmude (u) de Christo scribunt : Seditibus aliquando senioribus in porta urbis, duo præteribant pueri, quorum unus caput opertum, alter apertum habebat; de illo qui caput nudaverat, dixit R. Eliezer, quod sit spurius: R. Josua autem putabat, illum esse filium seminae impurae, sed R. Akiva statuebat, illum simul esse spurium, & impurae mulieris filium. Hinc quidam ad R. Akivam dicebant: cur tam confidenter sociis tuis contradicis? Respondebat illis hoc confirmaturus sum vobis. Proinde discessit ad matrem pueri, & vidit illam sedentem & in foro legumina vendentem, dixitque ad eam: filia mea! si veritatem rei, quam ex te quaesiturus sum, mihi dices, ego te participem faciam vitae aeternae. Regressa illa: jura mihi. Tunc R. Akiva labiis quidem juravit, in animo autem se solvit juramento & dixit: unde iste filius tuus? Responsum dedit mulier: cum nuptias pararem, impura eram, ideo maritus abstinuit a me; sed mecum consuevit paranymphus meus, ex quo filium istum concepi. Unde constabat, hunc puerum esse spurium, & filium impurae. Satis quidem obscura hæc verba videntur, & dum matris puerique nomina data opera omiserunt, vix potest intelligi, de quonam hic loquatur impia Judæorum natio. Sed se ipsos ut forex produnt pessimi Judæorum scriptores. Nam ex aliis scriptis ab illis compositis clarius potest cognosci, hostes istos Christi & veritatis infensissimos his verbis neminem, præter dulcissimum servatorem, innuere & infamia adspargere voluisse. Sic enim mentem & sententiam suam exponunt (w): Aine tu Jeshum Stadae filium fuisse? Utique Pandera filius fuit. At beus tu non hæc invicem pugnant. Nam, ut ait Raf Chasda, marito legitimo, Stada nomen erat, sed sinpratori nomen erat Pandera. Siccine vero asseris marito Stada nomen fuisse? Maritus utique Pappus Jebudæ filius vocabatur. Quin igitur dicendum, Stada matris Jeshu nomen fuisse. Itane? atqui is e Mirjam ornatrice mulierum natus est. Nimirum Stada & Mirjam eadem est persona, & Mirjam Stadae cognomen accepit, quia Pumbeditanis sic dicentibus a marito suo discessit, alienos sectata concubitus. Eadem repetuntur in Talmude, codic. schabbath (x), paucis tantum verbis mutatis, & quibusdam omis

drin. c. 7. item Told Jeshu, conf. Wagenfeil. Conf. T. J. p. 15. & Schickardus l. c. (u) in Tr. כלה, quem locum observavit Wagenfeil. in Conf. T. J. & ex eo adduxit Meelfuhrerus in Diss. 2. Jeshu in Talmud. p. 3. §. 1. (w) in Tr. Sanhedrin, f. 67, col. 1. (x) fol. 104. col. 2, conf.

omissis rerum circumstantiis. Et non solum Judæi pueritiæ Christi in Talmude mentionem faciunt, sed etiam juventutis, & ætatis magis adultæ. Nam de itinere ab eo in Ægyptum suscepto varia scribunt (y) in Talmude, quæ clarius explicavit cl. **WAGENSEILIUS** (z). Porro de Messia asino vecto iidem veritatis divinæ hostes multa ac varia memoriæ prodiderunt. Primo enim quæstionem movent (a), quomodo verba Dan. 7, 13. quod Messias venturus sit in nubibus cœli, & Zach. 9, 9. quod venturus sit insidens asino, componenda inter se & concilianda sint? Ad quam ira respondent: *si boni erunt Israëlitiæ, tunc veniet in nubibus; si vero mali, veniet vestus asino.* Sed tota via errant Judæi. Nam Messias in nubibus veniet ut ultor & vindex, quia illi pessime sese erga eum gesserunt; asino autem insidens venit jam olim, non quia Judæi, sed ille bonus mitis, & ab omni alienus erat pompa atque apparatu regio. Deinde de Messia asino insidente pergunt (b): *rex Sapor dixit Samueli, vos dicitis, Messiam vestrum venturum super asino; ergo mittam ei equum nobilem. Respondit ei, non est tibi equus centum maculis ornatus, qualis est ejus asinus.* De quibus recte observat **LIHGTFOOT**: *Judæi in summa Messie humilitate factum somniant etiam in ipsius asino* (c). Denique Messiam cum Mose, etiam respectu asini comparant his verbis (d): *R. Berachias dixit nomine R. Isaac, sicut fuit redemptor primus i. e. Moses, ita erit redemptor ultimus Messias. Quid fecit redemptor primus? de hoc dicitur Exod. 4, 40. & accepit Moses uxorem suam & filias suas, & equitare eas fecit super asino; sic & facturus est redemptor ultimus, ut dicitur Zach. 9, 9. pauper & equitans super asina.* Quid
B
por-

etiam Wagenfeil. Conf. T. J. p. m. 15. & qui eum ubique secutus est Meelführerus l. c. Diff. 2. (y) in Sota f. 47. col. 1. & in Sanhedrin. f. 107. col. 2. conf. Wagenf. Conf. T. J. p. 15. Meelführerus l. c. p. 5. & J. H. Othonis Lexic. rabbinico-philologic. p. m. 15. & 16. (z) in Confutat. Toldot Jesu p. m. 15. 16. (a) in Sanhedrin. f. 98. col. conf. etiam Othonis Lexicon. p. 51. sqq. (b) in Sanhedrin. l. c. (c) conf. Wülferi Theriac. Judaic. p. m. 364. sq. & Othonis Lexic. l. c. (d) in Meddrasch Coheleth f. 88. col. 4.

porro fecit redemptor primus? descendere fecit Manna, sicut dicitur Exod. 16, 4. ecce ego pluuere vobis faciam panem de caelo; eodem modo redemptor ultimus descendere faciet Manna, ut dicitur Pl. 72, 19. erit placenta frumenti in terra. Quid amplius fecit primus redemptor? ascendere fecit fontem; ita redemptor ultimus faciet ascendere aquas, ut scriptum est Joel. 3, 18. & fons in domo Dei exibit, & rigabit torrentem Sitim.

§. 3.

Omnia ista quæ adhuc ex Judæorum scriptis adduximus, satis quidem loquuntur illorum calumniandi & infamandi studium, quo Christi facta & doctrinam obterere student; hoc ipso tamen etiam divina veritas, quæ partim in veteri, partim in novo fœdere a divinis vatibus & Christi legatis clare ob oculos posita est, illustratur, verbaque Christi, quibus ille jam de eorum impietate, in infamandi eum libidine posita, conquestus est(e), confirmantur. Atque ita quidem, se antiquum obtinere, & impiis majorum insistere vestigiis, indicant; quædam tamen vel inviti simul asserere & confirmare coguntur. Quamvis enim impia & stolta Judæorum natio, dum Jesu matrem impuram & prostratæ pudicitie mulierem appellat, hac accusatione sua sceleratissima falsum crimen quasi venenatum aliquod telum in Christum servatorem optimum jecerit; inde tamen nihil amplius conficitur, quam quod patrem suum genium infernalem, mendaciorumque auctorem sequantur, qui semper ex ingenio suo falsissima profert. Suam enim calumniam nullo argumento, aut testimonio vel etiam ex scriptore Christo inimico adducto probare possunt. Nos autem e contrario innocentiam matris Jesu partim testimonio sacrarum litterarum novi fœderis, partim etiam Josephi, qui Mariam uxorem ducere constituerat, propria confessione, probatam dare possumus. Hæc enim sacra monumenta memorant Josephum in visione a Deo informatum (f), de divinitate Jesu filii Mariæ ne quidem

(e) Joh. 8, 48. (f) Matth. 1, 18. sqq. usque ad finem.

quidem dubitasse, & in ea natum ex spiritu sancto esse credidisse. Accedit, quod Josephus, si innocentia Mariæ non fuisset certa & explorata, vi legis divinæ eam statim repudiare coactus esset. Et quanquam probe perspectum habeo, sacra Dei novi fœderis monumenta apud Judæos nullius esse ponderis & auctoritatis, fidem tamen historicam, quam libris profanis concedunt, illis nunquam possunt denegare. Porro contra falsam hanc criminationem, illamque a Christo depellendam valent verba vatis divini JESAIÆ, cujus tamen auctoritatem extollunt Judæi. Iste enim Jesu nativitatem ex virgine jam olim prædicens, non aliam intelligit (g), quam B. virginem illam Mariam, quam angelus ille legatus a Deo ad Mariam missus, memorante LUCA (h), ita alloquitur: *ne timeas Maria! Dei enim gratiam es consecuta, nam ecce concipies, pariesque filium, & nomen ejus appellabis Jesu.* Dum itaque Judæi, Jesum Mariæ fuisse filium asserunt, hoc ipso vel inviti fatentur, Jesum istum Mariæ filium illum esse Messiam & hominum liberatorem, de quo Jesaias cæterique divini vates in oraculis suis editis vaticinati sunt; atque ita illi Judæorum sermones, quibus invidiose natales Christi criminantur, ipsos tanquam proprio jugulant gladio. Deinde iidem Judæi ne sic quidem procaciter orto sermoni finem imponunt, sed ut porro Christi laudes obterant, & procacissime ejus memoriæ inludant, multa de ejus itinere in Ægyptum suscepto fabulantur. Jesum jam adultum cum magistro in Ægyptum profectum esse, a doctrina præceptoris defecisse, & artes magicas ex ea regione deportasse, ut cetera quæ de hoc itinere fingunt omittam, prava animi contentione proveci pessimi omnium quos terra sustinet commemorant. Sed & hic vel inviti testimonium pro veritate dicere coguntur. Iter enim Christus in Ægyptum ingressus est, non cum præceptore, sed una cum matre & Josepho

(g) Jes. VII. 14. (h) Cap. I, v. 30. sqq.

pho; & exul patria caruit non ob crudelitatem Jannæi, sed Herodis, qui eum interficere studebat. Nec ab exilio redux corrupt homines, & a vero Deo ejusque doctrina abduxit, sed potius immortalī Deo conciliavit. Et hæc est causa, quare etiam divinum numen Jesum puerum, & ab hostibus in primis Herode circumventum, & ejus parentes per somnium non solum admonuit, ut in Ægyptum fugerent, sed etiam salvos omnes & incolumes ibi conservavit, & in patriam reduxit. Quæ non solum in novo fœdere (i) memorantur, sed etiam ab HOSEA (k) jam olim prædicta sunt: *ex Ægypto vocavi filium meum*; quæ verba veteres quoque Judæi ad Messiam seu Christum transferre non dubitant (l). Interim de vero horum verborum sensu plura legi possunt apud Cel. WOLFIUM (m). Et huc etiam pertinet oraculum BILEAMI (n): **אל מוציאנו ממצרים** i. e. *Deus eduxit eum sc. servatorem Jesum ex Ægypto*: quem sensum non solum postulant verba versus præcedentis 7, sed etiam in primis v. 17. (o) Tandem libere fatentur, Messiam tempore adventus sui vectum iri asino, & asinæ pullo (p); qui in Talmude (q): **חמור וג'ידור קטן** appellatur. Quo etiam haud inepte referunt verba ZACHARIÆ (r): **הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא ורכב על חמור ועל ע'ר בן אתנור** i. e. *exulta filia Zion! ecce rex tuus veniet justus servans & servatus ipse, vectus asino & asinæ pullo*. Quibus verbis ZACHARIAS clarissime liberatoris nostri optimi adventum prædixit. Hic enim ille est, qui justus erat, quique cum Hierosolyma ingredi constituisset, humili non regio, summus tamen rex, utebatur apparatu, asino & ejus pullo vectus, sine omni satellitum militum & purpuratorum turba. Non tamen omni

(i) Matth. 2. in primis I c. v. 15. (k) c. XI. 1. (l) conf. B. Grünenbergius in Diff. de filio Dei ex Ægypto vocato Diff. 2. §. 3. & Clericus Bibl. select. T. 25. p. 2. p. 421 (m) in curis philol. crit. p. 36. sqq. (n) Num. 24. 8. (o) conf. B. Olearii obs. ad Matth. I. c. (p) conf. Orthonis lexic. I. c. (q) in Bava Metzia fol. 11. col. 1. conf. Matth. 21. 2. (r) c. 9. 9.

omni destituebatur amicorum comitatu, dum non solum ejus legati & discipuli eum comitabantur, sed multa etiam populi millia, qui ZACHARIAM de hoc adventu yaticinatum esse memores (s), regi huic & omnium liberatori, verum illum esse Messiam, quem dudum omnibus expetiverant votis agnoscences, ex Ps. 118, 25. 26. acclamabant: **הושיענו נא!** (t) Hæc profecto ita comparata sunt, ut ipsi Judæi veritatis de Christo hostes, rei veritate & claritate inducti, in dubium illa vocare non sint ausi, sed potius suo testimonio confirmare coacti sint.

§. 4.

DEum immortalem miraculorum tantum esse auctorem, seu, ut in Scholis loquuntur, causam efficientem principalem, patet ex infinita potentia, quæ soli DEO competit. Indignum enim & potentiæ ac sapientiæ DEI non esset conveniens, ordinem naturæ, a summo omnium rerum conditore & domino sapientissime institutum, temere passim a rebus ab illo conditis immutari ac turbari. Ad hæc autem miracula potissimum requiritur, ut vires humanas superent, ac præter naturæ rerumque constantem ordinem sint facta (u). Unde facile conficitur, illum verum esse Deum, qui propria potentia talia edit miracula. Et dum Jesus Christus tot vera miracula, quibus divinam confirmaret doctrinam, ut sacræ novi fœderis litteræ memoriæ prodiderunt, fecit; quis est, qui amplius jure dubitare sustineret de ejus divina potestate? Jesum autem prodigia & miracula edidisse concedunt insensissimi hostes Judæi; ejus quoque nomine facta esse miracula in dubium vocare non sunt ausi. In hanc enim sententiam quod scribitur

B 3

vide

(s). Matth. 21, 5. (t) Conf. Matth. 21, 9. Marc. 11, 1. Luc. 19, 29. Joh. 12, 14. (u) conf. Cleric. Pneumatol. Sect. 3. c. 7. p. 127. & in primis cel. Walchius in Lexic. Philos. a pag. 2959. usque ad

vide in Avoda Sara apud Edzardum (w) His quoque similia leguntur in Avoda Sara Hieros. c. 2. fol. 40. col. 4. fin. it. in Schabbath fol. 14. c. 4. fin. Plura Judæorum testimonia de Jesu miraculis haud proferam, cum ubique apud EISENMENGERUM, WAGENSEILIUM, EDZARDUM, SCHUDTIUM, MULLERUM, MEELFUHRERUM, WULFERUM, aliosque extent. Sed qua virtute Christus edidit miracula? Jesum non divina virtute, sed incantationibus miracula edidisse, criminantur Judæi (x), suasque calumnias his verbis proponunt: *Stada filius secum extulit ex Aegypto artes magicas, in incisura quam in carne sua fecerat. Hæc ita interpretatus est interpres Judæus ad h. l. Non enim in libellum relatas istas artes exportare poterat, quia magi omnes inde proficiscentes scrutabantur, ne secum incantamenta efferrent, & hæc alias gentes docerent.* Porro ab iisdem memoratur (y), Jesum artibus suis magicis in Judæa discipulos sibi parasse. Et huc etiam spectant crimina illa, quæ pessimus nebulo auctor libri qui inscribitur Nizzachon (z) in Christum jactat. Et in hujus sententiam pedibus ut dicunt ire sustinuit impius scriptor libri Chüßuck Æmuna dicti (a). Denique infamare quoque sibi proposuit auctor תולדות ישׁׁ, qui libellus non sine horrore legi potest, miracula optimi hominum liberatoris, cujus verba non solum exhibuit Cl. WAGENSEILIUS, sed & eleganter refutavit (b). Verum enim vero hac ipsa sententia sibi contradicunt Judæi, Dum enim miracula appellantur (c),
per

2981. (w) fol. 27. col. 2. med. conf. B. Edzardi versio Tr. Avoda Sara, c. 1. p. m. 312. fqq. (x) in Cod. Schabbath. f. 104. col. 2. Conf. etiam Wagenfeil Conf. T. J. p. 17. (y) in Sanhedrin. fol. 43. col. 1. conf. Wagenfeil. l. c. p. m. 17. (z) p. m. 34. Edit. Wagenfeil. in Telis igneis Satanæ. (a) p. 452. Editionis citat. (b) in telis igneis Satanæ. (c) Conf. Hugo Grotius de veritate

per naturæ vim fieri haud potuerunt. Simili argumento colligitur, non fuisse præstigias; quia pleraque opera palam gesta sunt, inspectante populo, & in populo multis eruditis Christo male volentibus, ac cuncta ipsius opera observantibus. Adde quod similia opera sæpe repetita, & ipsi effectus non momentanei, sed permanentes. His uti decet expensis, omnino sequitur, quod & Judæi fatentur, opera hæc processisse a virtute aliqua humanam longe superante; hoc est a spiritu aliquo bono vel malo. A malo autem spiritu non esse profecta hæc opera inde probatur, quod doctrina Christi, cui probandæ ista opera adhibebantur, malis spiritibus adversatur. Vetat enim malos Spiritus coli; abstrahit homines ab omni immunditia morum, qua tales Spiritus delectantur. Rebus quoque ipsis apparet, ubicunque ea doctrina recepta est, collabi dæmonum cultum, & artes magicas, & unum DEum coli, cum detestatione dæmonum: quorum vim ac potestatem Christi adventu infractam vel ipsi hostes divinæ veritatis agnovērunt. Credendum autem non est, quenquam ex malis spiritibus, adeo esse imprudentem, ut ea faciat, & quidem sæpissime, ex quibus nihil honoris sibi, aut commodi, e contrario vero maximum detrimentum ac dedecus accedat. Sed neque sapientiæ, aut bonitati ipsius DEI ullo modo convenit, ut passus credatur, astu dæmonum illudi hominibus ab omni malitia alienis, & sui metuentibus; quales fuisse primos Christi discipulos, vita ipsorum inculcata, & multæ calamitates conscientiæ causâ toleratæ manifestum faciunt. Unde facile consequitur, Christum divinæ suæ virtute non aliena, multo minus dæmonis, omnia sua edidisse miracula; in hunc finem ut eo facilius divinæ religionis veritatisque a se propositæ sanctitatem & fidem probaret. Iidem Judæi Jesu miracula

ope

ope nominis DEI Jehova, seu schem Hammephorasch peracta esse memoria prodiderunt. Ut multa alia Judæorum de hac re prolata testimonia silentio præteream, in præsentī tantum calumnias illas proponam, quas furcifer auctor impij libelli Toldot Jesu effutire non dubitavit; conf. verba ejus [d] apud Cl. WAGENSEILIUM. Carnifex quæ loquitur? Fabulas profecto & nugas profert, vix dignas quæ refutentur. Quod si autem hoc nomen tantam vim habet atque virtutem, ut hoc ipso omnia possint effici, cur vos in summa calamitate constituti ad hanc sacram anchoram non confugistis, urbemque vestram, & ædem sacram Hierosolymis exstructam, ab hostium injuria & crudelitate non liberastis? Profecto, si hæc valeret, sapientes vestri non solum vim hostium tali modo repellere voluissent, sed etiam potuissent. Hæret certe veterator, nesciens quid reponat. Impium quoque & majestate divina indignum videtur asserere, tantam meris duntaxat litteris & nominibus inesse vim atque virtutem. Quo modo enim DEUS hæc permetteret, quæ non solum in dedecus honoris & numinis divini, sed etiam multorum damnum vergerent. Et si miracula litteris & nomine edi possent, limites profecto potentia divina hoc ipso essent ponendi. Huc accedit prudentiorum quorundam Judæorum testimonium, qui hæc ipsa refelunt, ut ipse auctor Nizzachon satis alias temerarius & impudens scribere sustinuit [e]. Quæ etiam suo confirmat suffragio ille maximæ inter suos auctoritatis doctor MAIMONIDES [f]. In hanc quoque sententiam nostram quadrant verba auctoris libri cabbalistici Schaare orah [g]: *mi fili! ausculta voci meæ, & aures tuæ attentæ sint ad consilium meum: si corrumpere te conentur peccatores, ne acquiescito; si dixerint tibi, veni nobiscum, & trademus in manum tuam nomina divina, quibus possis uti: mi fili! ne abito in viam cum ipsis, contine pedem tuum a semita ipsorum, quia illa nomina & usus illorum nil sunt nisi retia & laquei, ad capiendum animas, & ducendas eas in perditionem.*

Præ-

(d) Conf. Wagenfeilii Tela ignea Satanæ, speciatim Libr. Toldot Jeschu p. m. 6. & 7. (e) conf. Nizzachon Edit. Wagenf. in Tel. ign. Satan, p. m. 34. (f) in More Nevuchim part. I. c. 61. (g) fol. 2,

Praclare proinde BUXTORFIUS [h] : fecit Christus sua miracula non per nomen hoc יְהוָה prolatum, sed per rem hoc nomine significatam, hoc est, per naturam suam divinam, tanquam verus & essentialis יְהוָה DEUS. Conferantur in hanc rem viri eruditissimi, qui pluribus hanc discussissent calumniam, B. LUTHERUS [i], WAGENSEILIUS [k], BUXTORFIUS [l], WULFERUS [m], ac plures alii.

§. 5. Jesum liberatorem optimum ab hostibus teterrimis, morte, cruciatu, cruce, ceterisque tormentis affectum esse, tam veteris quam novi fœderis sacra litterarum monumenta memorant. Sese autem in cruciatum dare voluit, ut ipse omnes homines, qui propter crimina sua cruciatu summorum dolorum confici debuissent, ex servitute, qua illos dæmon, peccatum, & mors oppressos tenebant, in libertatem vindicaret. Sic enim vates ille divinus Christum commemorantem inducit (n) in variis libri sui locis (o). Ut cetera brevitatis studio omittam. Eadem paulo adhuc clarius de morte & cruciatu Christi servatoris in novo fœdere a piis legatis Christi commemorantur, & explicantur. Et hæc quoque de gratia & amore Christi in omne genus hominum ipsis pessimæ Judæorum nationis calumniis corroborantur, confirmantur, & illustrantur. Dum enim Jesum תְּלִי su-
spensum appellant, verbis suis concedunt, Jesum servatorem nostrum illum omnino esse, de quo vates divini Jesaias ceterique prædixerunt, illum mortem, misérias, atque calamitates perferre debuisse. Quæ autem Judæi maledicentissimi de Christi morte scripserunt (p) legi possunt apud BUXTORFIUM (q). Quæ lucem accipiunt ex Tr. Talmud. Sanhedrin, explicata etiam & adducta a Wagenf. qui evolvi meretur (r). Conf. B. ED-
ZARD. versio Tr. Avoda Sara, c. 1. p. m. 304. Quomodo autem vos ne-
farii nugatores & nebulones mendaciis & dolis vestris nebulam quandam & tenebras offundere, quomodo mortem servatoris temere criminari au-
detis, qui tamen omnes homines, & sic etiam vos impios, sacrificio isto perfectissimo DEO placato, liberavit, & ex miseria, cui omnes erant ex-
positi, eripuit sua morte? Num divinam auctoritatem librorum, a va-
tibus

- C
- (h) Joh. Buxtorf. Filius in Dissertat. de nominibus DEI ebraicis § 30.
 (i) in libello de Schem Hammephora sch. (k) Confutatione T. J. p. 39. fqq. (l) in Dissertat. de nominibus DEI Ebraicis. §. 30.
 (m) — l. c. p. m. 57. fqq. (n) Jes. 43, 10. (o) Jes 53, 4. fqq.
 (p) in Schabbath. f. 67, col. 1. conf. Wagenfeil. Conf. T. J. p. m. 19.
 (q) in Lexic. Talmud. p. 1458. (r) f. 43, col. 1. conf. Wagenfeil.

tibus divinis veteris fœderis afflatu divino conscriptorum , quam tamen vestri admittunt , in dubium estis vocaturi? Isti autem , & in primis regio genere natus JESAIAS aperte & dilucide de hac Christi morte , quam vos infamatis , locuti sunt. Vos illi estis , de quibus jam olim JESAIAS (s) vaticinatus est : *cum obstupuerint* , inquiens : *de te multi dicentes : adeo corruptum esse præ ullo aspectum istius , & formam istius præ filiis hominum.* Hæretis profecto nebulones , quo vos verteretis non habentes.

§. 6. Longe melius in servatorem & liberatorem omnium animatus est FL. JOSEPHUS , cui eadem , quæ vobis , fuit Dei cultus ratio ac religio , quique a splendore sacrorum , & majorum suorum institutis minime abhorret. Sic enim ille , *eodem tempore* , scribit (t) : *fuit Jesus vir sapiens , si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patratior , & doctor eorum , qui libenter vera suscipiunt : plurimosque tam de Judæis , quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat , quem accusatum a nostræ gentis principibus , Pilatus cum addixisset cruci , nihilominus non destituerunt eum diligere , qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus , ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt ; & usque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Quid clarius , quid melius , dici potuisset ab illo , qui veritatis alias divinæ fuit hostis ? Eadem enim fere dixit , quæ divini Christi legati in novi fœderis oraculis memoriæ prodiderunt. Scio quidem eruditissimos viros varie de hoc JOSEPHI testimonio scripsisse , dum alii historici hujus verba , quibus testimonium pro Christo dixit , incorrupta pronunciant ; alii hæc interpolata , & a Christianis inserta judicant : plures totam rem in medio relinquunt. Sed

cer

conf. carm. R. Lipmanni p. 195, & conf. T. J. p. 19. (s) c. 53,
(t) Antiquit. Judaic. L. 18. c. IV, p. m. 484.

certum mihi videtur atque exploratum, hæc ipsum JOSEPHUM auctorem agnoscere. Cum enim Christi miracula, facta, atque res gestæ ubique eo tempore cognitæ atque pervulgatæ essent, officium ejus, quo historici persona ipsi erat imposita, ab eo postulabat, ut ea memoriæ causa in litteras referret, quæ multa hominum millia de Christo sentirent. Deinde non solum omnes JOSEPHI codices inter se consentiunt, & hæc de Christo verba legenda cunctis exhibent lectoribus; sed etiam ne quidem a Christianis textui addi, aut inferi potuissent, dum fraus facillima fuisset intellectu & cognitu, quia JOSEPHUS in fine Antiquitatum numerum *εἰχων* seu versuum expressit: atque ita librum suum quasi communivit, ut nemo hominum vel aliquid addere, vel demere posset. Et huc etiam referenda sunt verba MACARII martyris, quibus asserit, Josephum sacerdotem Hierosolymitanum historiam Judæorum integra fide ad posteros propagasse, & Christum verum fuisse Deum confessum esse. In præsentī plura argumenta proferendi mihi non est animus; præsertim cum Cl. Tob. ECKHARDUS copiose de hoc Josephi testimonio egit (u).

§. 7. Porro servatorem Jesum Christum in veteris & novi fœderis sacrarum litterarum monumentis *λόγον* seu verbum ut diviniore & sanctioris scientiæ doctores loquuntur, substantiale appellari, omnibus illis fatis notum est, qui in horum oraculorum divinatorum lectione sunt assidui. Sic enim divinus ille legatus & Christo quam maxime acceptus JOHANNES, *ἐν ἀρχῇ*, inquit, (w) *ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος* i. e. in principio erat verbum, verbum autem erat penes Deum, & hoc verbum erat ipse Deus. Paulo post idem pergit (x): *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*. i. e. verbum hoc caro factum est. Eadem quoque appellatio in veteri fœdereprehenditur (y); verbo Dei caeli facti sunt; ut reliqua brevitas studio o-

(u) in Libello: non Christianorum de Christo testimonia, C. V. p. m. 89. fqq.

(w) Joh. I, 1. fqq. (x) I. c. v. 14. (y) Ps. 33, 6.

mittam. Et hæc quoque divina veritas approbatur a JONATHANE interprete chaldæo, cujus tamen auctoritas in sacrarum litterarum explicatione apud omnes Judæos tantum habet ponderis, quantum nullius fere inter omnes eorum interpretes eruditio habere solet (z); hic autem ubi in ebræo reperitur absolute Jehova, sæpe pro contextus orationis ratione illud exponit per : **מִימְרֵי דֵי** seu *verbum Dei* : eodem omnino modo, quo JOHANNES his verbis solet uti : *ὁ λόγος τῶ θεοῦ*. Jacobus veteris pii Dei cœtus antistes, cum vitæ finem sibi adesse intelligeret, pia fiducia in Christum placide acquieturus, hæc verba pronunciat (a) : **יְהוָה קִיִּיתִי יְהוָה** i. e. *salutem tuam, s. potius JESUM tuum expecto domine !* Ubi vox **יְהוָה** in quibusdam chaldaicæ versionis libris per **מִימְרֵי** s. *verbum* explicatur ; in aliis expressa fit mentio *Messia*, & hæc quoque verba subjiciuntur (b) : dixit Jacob, quando vidit Gideonem filium Joas, & Simsonem filium Manoæ, qui futuri erant liberatores : non liberationem Gideonis ego expecto, neque liberationem Simsonis ego perspicio, quia liberatio eorum liberatio temporalis erit ; sed ego salutem tuam expecto & perspicio domine ! quia liberatio tua liberatio seculorum est. Quæ verba facilius ex illis quæ sequuntur possunt intelligi (c) : **מִשִּׁי בֶן דָּוִד רְחוּמֵי** i. e. *ego potius expecto salutem Mesia, qui liberabit Israelem*. Hierosolymitanus autem interpret chaldæus his sequentia addit (d) : dixit pater noster Jacobus, non redemptionem Gideonis filii Joas expectat anima mea, quæ est salus temporalis ; neque redemptionem Simsonis, quæ est salus transitoria ; sed redemptionem quam dixisti per verbum tuum venturam esse populo tuo, filiis Israel, eam inquam redemptionem expectat anima mea.

Deum

(z) conf. Cel. Wolfii Biblioth. Ebræa. part. II. p. m. 1159. sqq.

(a) Gen. 49. 18. (b) conf. Jablonskii pentat. glossa. Tom. I. fol.

192. col. I. (c) conf. l. c. lin. 21. sqq. (d) conf. Id. l. c. fol. 194. l. 18. sqq.

Deum hortum amcenissimum, qui vulgo paradysus appellatur, plantasse memorat MOSES divinus scriptor; hæc verba ita interpretatur JONATHAN (e): **וַתִּנְתֵּן בְּמִמְרָא דִּי אֱלֹהִים** i. e. *plantatus est per verbum Jehovæ Deum hortus*. Nonne ita fere loquitur JOHANNES, per verbum, quod fuisset ipse Deus, omnia esse producta? Cum primi parentes turpe scelus commisissent, audiebant in horto vocem Dei iustissimi, qua graviter in eos invehebatur; hæc verba ita explicavit JONATHAN in versione chaldaica (f): *audiverunt vocem verbi divini, quod erat Deus, in horto*. Eodem tempore Adamus Deum sic allocutus esse perhibetur: *audivi vocem tuam in horto*; quæ secundum Jonathanis explicationem hanc habent sententiam: *vocem verbi tui in horto percepisti*. In primis autem insignis est ille orationis contextus, in quo memorat divinus scriptor, Deum post aquarum illuviem Noachi fuisse memorem. Sic enim vates ille divinus Moses hæc reliquit scripta: *recordatus est Deus Noachi & reliquorum*: hæc verba sic exposuit & interpretatus est idem JONATHAN, ut nihil possit esse explicatius, nihil perfectius. Hæc autem est verborum illius sententia (g): **וּרְכִיר יִי בְּמִמְרָא נַח** i. e. *recordatus est Deus propter verbum suum Noachi*. Quid clarius quid elegantius dici potuisset a Judæo, veritatis alias de Christo hoste? Nonne eadem dicunt veteris & novi fœderis litterarum sacrarum monumenta? per & propter Christum tantum nobis patere limitem ad DEI gratiam, & cœli aditum; iste autem Christus est verbum illud, quod hic ab Interprete Chaldæo MEMRA appellatur. Quid autem re ipsa Judæi per: **מִמְרָא דִּי** *verbum Dei* intelligunt? Illos his verbis verum DEum intelligere,

gere, facile patet ex collatione textus Ebræi cum Versionibus chaldaicis; quia ubi in Ebræo extat vel יהוה vel אלהים plerumque Chaldaeus Interpres in horum verborum locum substituit hæc verba, מִמְּרֵי דֵי i. e. *verbum Dei*. Hæc ut facilius intelligantur, velim ut voces Ebrææ & chaldaicæ inter se comparentur Gen. 31, 48. it. v. 49. Exod. 16, 8. Num. 11, 20. c. 14, 9. Gen. 1, 27. Gen. 3, 9. Deut. 26, 17. & 18. Levit. 20, 23. c. 21. 46. Jes. 8, 5. Jes. 45, 17. Jes. 41, 10. Jes. 66, 13. Jer. 1, 8. Jer. 2, 5. (Plura vide in eruditissima Dissert. Laurentii WEGERI P. P. de verbo DEI ex occasione phraseos chaldaicæ: מִמְּרֵי דֵי (h).), in quibus omnibus pro יהוה & אלהים a chaldæo ponitur: מִמְּרֵי דֵי i. e. *verbum Dei*. Et hæc chaldaici Interpretis verba non solum Dei notionem inferunt, sed etiam futurum Messiam promissum indicant; quod ex eo intelligitur, dum ille in ea sacrarum litterarum orationis serie, quæ de Christo non solum ex Christianorum sed etiam Judæorum mente loquitur, non dubitavit eadem verba: מִמְּרֵי דֵי adhibere. Deut. 18, 15 -- 19. hæc reperiuntur: *vatem divinum e medio tui, ex fratribus tuis, qualis ego sum, excitabit tibi Dominus Deus tuus, secundum omnia, quæ petiisti a Deo domino tuo, dicendo: ne pergam audire: קול יהוה אלהי vocem Dei domini mei &c.* Hunc sanctum vatem Messiam futurum esse, apud Christianos non solum, sed etiam Judæos vulgatum & cognitum est. Sic enim veteres Judæi asserunt, solum Messiam cum Mose comparari posse, reliquorum autem vatum neminem. Testimonia Judæorum in hanc sententiam apud WEGERUM (i) legi possunt. Hæc ita interpretatus est Paraphrastes chaldaeus: *Prophetam e medio tui de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi dominus, illi obedietis, juxta omnia quæ petiisti a domino Deo tuo in Horeb in die congregationis, dicendo: non addam audire מִמְּרֵי דֵי vocem verbi Dei domini mei; atque ignem magnum istum non video amplius, ut non moriar. Et dixit dominus ad me, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum sicut te, daboque verba prophetiæ meæ in ore ejus, & loquetur cum eis omnia quæ* man-

(h) habita Regiomonti 1682, in 4to. (i) l. c. §. 22, & 23.

mandavero illi, eritque si aliquis non receperit verba mea quæ loquetur in nomine meo
 מִימְרֵי *verbum meum, requirit ab eo.* Unde cognoscimus, Interpretem chaldæum verba Ebræa: יְהוָה אֱלֹהֵי קָרַל transulisse per: מִימְרֵי קָרַל
 מִימְרֵי אֱלֹהֵי & cetera quæ sequuntur: אֲנֹכִי אֲדַרְשׁ מֵעַמּוֹ ego sc. Jehova requiram ab eo, in tertia persona interpretatum esse, ac si diceret: ille vates Messias, qui verbum DEI dicitur, requirit ab eo. Psalmus CX. verba de Messia facit, & in hoc quoque Judæi nobiscum consentiunt; quorum verba sententiam nostram confirmantia evolvi & legi possunt apud WEGERUM (k). Et hunc orationis contextum: אָמַר יְהוָה לְאֲדָנִי explicat chaldæus: אָמַר לְמִימְרֵי i. e. dixit dominus ad verbum suum. Plura argumenta veritatem istam evincentia in medium proferre possem; sed quoniam Cl. WEGERUS, & alii, huic rei abunde satisfecit, lectores veritatis hujus studiosos ad illam elegantissimam Dissertationem ablegamus.

§. 8. Deinde multa in veteri fœdere dicta sanctorum vatum occurrunt, quæ Christum, ejusque natales, vitam, facta, officium, mortem, & reliqua satis clare ostendunt atque loquuntur, ex quibus quædam in novo fœdere adducuntur, uberiorque explicantur; quæ dum etiam veteres Judæi de Messia exponunt, veritatem divinæ de Christo doctrinæ hoc ipso confirmant atque illustrent. Primum omnium Messia seu liberatoris hominum fit mentio Gen. 3, 15. *inimicitias ponam inter te, & inter hanc mulierem, inter semen tuum, & inter semen ejus; ille conteret tibi caput, tu autem ipsi calcaneum conteres.* Hæc verba nostra de temporibus Messia intelligit antiquissimus Judæorum Interpres, & vir magnæ inter suos auctoritatis, JONATHAN, addens: בְּיוֹמֵי מַלְכוּת מְשִׁיחָא i. e. *omnia ista in diebus regis Messia eventura sunt.* Deus post aquarum illuviem placatus, se non amplius orbi terrarum maledicturum

(k) vid. Dissert. citat, §. 26. & 27.

rum esse propter hominem sancte pronunciat, & promittit; hæc verba Idem Jonathan pie interpretatur: *dixit Jehova, se propter verbum suum non amplius maledicturum esse terræ, & reliqua.* Nonne hæc est verborum ejus sententia, Deum propter filium suum, verbum nimirum substantiale non amplius esse maledicturum terræ? Jacobus carmina exequialia jam moriens cantans, filiis simul ultimum vale dicturus, ita paulo ante mortem vaticinatus est: *sceptrum [1] non reverteretur a Juda, usque dum veniet schilo.* Quæ a RASCHIO clarissimo inter Judæos interprete, & chaldæo ONKELOSO aperte de Messia servatore nostro dulcissimo explicantur. Quo referas illud Talmudistarum (m): *Mesias filius Davidis non veniet, antequam vilissimum quodque regnum defierit ex Israele.* Quæ sic illustrare studet JARCHIUS: *Ut non amplius supersit illis ulla imperii species, etiam levissima & tenuissima.* Ibidem paulo post hæc proferuntur: *Mesias, filius Davidis non veniet, antequam defierint omnes superbi ex Israele.* Item eodem loco: *Mesias filius Davidis non veniet, antequam defierint omnes judices & moderatores ex Israele.* Nonne itaque, quæso vos & obsecro Judæi! Messias dudum venit? Res enim vestræ ad eum statim sub Christi servatoris nostri adventu, redactæ erant statum, ut quilibet, qui in historia non rudis est, & sine studio partium, & præconceptionis opinionibus rem accuratius considerat, necessario vel invitus debeat perspicere atque cognoscere, non solum sceptrum e Judæ manibus ablatum, sed mox omnem vobis ereptam esse libertatem. Psalmos & cantica illa, quæ de Christo agunt, Judæi communi fere consensu ad Messiam transferunt,

(l) Gen. 49, 10. (m) in Sanhedrin. fol. 89. col. 1.

runt, & de illo interpretantur. Ex pluribus exempli causa unum locum nomino : ita Pf. 72. e Judæis de Messia interpretati sunt, Aben Esra ad l. c. R. Lipmann. in Nizzachon. R Salomo ad Num. c. 24, 17. & Zach. 9, 9. Interpretes chaldæus, R Saadias Gaon ad Dan. 7, 14. R. Bechai ad Num. c. 24. & sic in antiquissimo libro Siphre ad Deut. 33, 7. ad Messiam refertur. Jeremiam summum illum mysteriorum divinorum doctorem, verbis : **יְהוָה נִאֻם כֹּה אָמַר יְהוָה וְהָקַמְתִּי לְדָוִד צִמְח צִדִּיק** (n) de Messia, seu omnium hominum liberatore vaticinatum esse, inter Christianos sententia nota ac pervulgata est ; quæ ab ipsis quoque Judæis, hæc verba de Messia eadem fere ratione explicantibus, corroboratur. Loca e Judæorum scriptis in præsentia non adjiciam, quoniam junctim legi possunt in B. L. Esdræ EDZARDI, viri in linguis Orientis versatissimi consensu antiquitatis Judaicæ cum explicatione Christianorum super locum Jerem. c. 23, 5. 6. (o). Huc, præter multa alia exempla, pertinet illa verborum constructio, qua de apparitione Mosi in primis facta multa traduntur. Qui sub specie nubis & ignis apparuit in tabernaculo & arca, & qui e medio cherubinorum ad Mosen locutus est, idem est sine dubio, qui antea Mosi apparuerat in rubo ardenti, & ad Mosen dixerat, se descendisse ut liberaret populum e manu Ægyptiorum, & inde educeret eos e terra illa ad terram bonam & latam, lacte & melle fluentem Exod. 3. Idem postea Israelitas ex Ægypto exeuntes interdum in columna nubis, noctu vero in columna ignis Exod. 13, præcessit. Idem deinde Mosi promisit, se ei mandata ad Israelitas perferenda daturum. Idem denique Josuæ Mosi successori apparuit, ut princeps exercitus Jos. 5. Huic in locis jam citatis, & aliis, varia imponuntur nomina. Nunc enim appellatur **יְהוָה**, nunc DEUS Abrahami, Isaaci & Jacobi ; nunc princeps exercituum domini ; nunc

D

ange-

(n) Jer. 23, 5. 6. (o) qui editus est in fol. Hamburgi 1670.

angelus domini ; nunc angelus Dei Exod. 23, 21. nunc angelus redemptor ; mox angelus fœderis ; mox angelus faciei ; nunc divini honores , & opera divina ei tribuuntur. Hæc loca ita explicarunt Judæi , ut multa proposuerint , quæ ad confirmandam divinam de Christo doctrinam omnino pertinere videntur, quamvis ad claram veritatis confessionem nondum pervenerint. Verba eorum, quibus hanc rem proposuerunt, fuse exhibuit Cl. BUXTORFIUS F. in historia arcæ fœderis (p), quæ profecto digna sunt, ut apud illum legantur, & accuratius animo volvantur.

§. 9. Tandem Judæi quædam in scriptis suis de legatis seu discipulis Jesu servatoris proferunt , quæ hic jure quodam suo sibi locum vindicant, dum & hæc , quas in hac sententia proferunt, calumniæ adjumentum aliquod , si non ad confirmandam, tamen illustrandam veritatem, afferre mihi videntur. Primo itaque hostes isti inimicissimi scribere haud sunt veriti, Jesum artibus suis magicis discipulos, quos nominatim expriment (q), & sectatores sibi conciliaffe. V. in primis ei adscribunt discipulos, quorum quemque nomine suo appellant. Hæc, quæ Apellæ de discipulis Christi (r) proposuerunt, in quibusdam cum veritate divina in novo fœdere proposita conveniunt. Nam per Matthai sine dubio Matthæus , qui saluberrimam & exoptatissimam doctrinam ad hominum omnium salutem pertinentem promulgavit in libello, ex afflatu divino conscripto , & de ejus nomine appellato , intelligitur. Thoda autem Thaddæum exprimere, quis ignorat ? In voce Boni quidam virorum doctorum cognomen duobus discipulis Jacobo & Johanni a servatore impositum Boanerges latere, sibi haud inepte persuaferunt. Vocem deinde Nekai alii derivant ex rad. נקב, & hoc

(p) apag. 129-143. (q) in Sanhedrin fol. 43. col. 1. conf. etiam Wagenfeilius in Confut. Tol. Jesu p.m. 17. (r) loco supra citat.

& hoc nomine a Judæis Simeonem intelligi arbitrantur, qui Luc. 6, 15. *ζηλωτης* cognominatur (s). Cetera quæ de supplicio horum Christi discipulorum scripsere, ita sunt comparata, ut ne quidem illa refellere opus sit, cum sua sponte corruant. Et hic optime mihi judicasse visus est WAGENSEILIUS (t), ab otioso aliquo, & S. scripturam ejusque dicta in lusum & jocum sic detorqueute, delirantis ingenioli ostentandi causa, ineptias has esse confictas. Jesum autem artibus magicis sibi adjunxisse discipulos, quando impio ore criminantur Judæi, hoc ipso satis refutantur, quia Jesus Dei doctrinam, non dæmonis proposuit, atque ita ne quidem fieri pouit, ut impiis uteretur & dæmonis, ad probandam eam sanctam & divinam doctrinam, artibus. Deinde tot inter discipulos & cultores Christi fuerunt, qui non erant ex plebe, sed omnibus exculti artibus, & optimarum scientiarum studiis, quique scripturam veteris fœderis, & patriam religionem optime callebant, quibus profecto artibus impiis & magicis haud potuisset imponi. Illa quoque quæ artibus impiis & magicis parantur & efficiuntur, cito evanescunt in auras, & fraus mox detecta omnibus se præbet deridendam, quæ de Jesu nunquam prædicari possunt. Accedit, Deo non convenire, ut passus sit, tot probos homines & infantes ab impostore corruptos esse, & in devia abductos. Verum enim vero in historia de Christi discipulis sibi iterum, ut in aliis, non constant Judæi. Nunc enim v. tantum ejus recensent discipulos, nunc præter istos, alios quosdam ei tribuunt. Huc trahi potest illud, quod memoratur in Avoda Sara (u): *unus e discipulis Jesu Nazareni, cujus nomen erat Jacobus Sechaniensis &c.* Cujus mentio etiam fit in aliis Talmudis locis, in quibus mox vocatur: *בן שמעון*, mox *שמעון*, de quibus B. EDZARDUS, conferri meretur (w).

D 2

§. IC.

(s) vid. Pfeiffer. Theol. Judaic. p. m. 235. (t) Conf. T. J. p. m. 18.
 (u) cap. 1. fol. 17. col. 1. sed Edit. Cl. Edzard. p. m. 130. (w) in
 Versione Tr. Avoda Sara p. m. 300.

§. 10. Hæc de veritate divinæ de Christo doctrinæ præfari placuit auspiciatissimo hoc tempore, quo Augustissimus Rex noster nostras provincias in sua verba per jusjurandum clementissime adigit. Deus nobis pro sua clementia concessit fidei, hoc est veri divini cultus atque religionis Defensorem optimum, Regem sapientissimum, clementissimum ac justissimum; qui, ea qua pollet potentia, a divino numine concessa, hostibus veritatis resistet: ut sanctiori Dei cœtui, ac reipublicæ suæ constet integritas ac felicitas maxima. Servet modo DEus hunc fidei Defensorem, Patriæ Patrem benignissimum; Vivat Rex potentissimus, vivat, floreat, vigeat, & impleat annos Nestores! Vivat Regina Augustissima! Vivant serenissimi juventutis principes, & reginæ virgines! Vivat celsissima Domus Brunsvicensis ac Lüneburgensis! Vivat tota Domus Regia, & Ejus posteritas in folio Britannorum floreat ad interitum usque terrarum orbis. Sed nunc sistimus humillimæ nostræ pietatis interpretes, duos nimirum florentissimos juvenes, qui Gymnasii nostri nomine humillimo gratulandi & optima hoc solemnī die precandi fungentur munere. Quorum primus

Samuel Adamus Teich, Stadenus,
prudentissimi Senatoris filius haud degener, de Stadenium spe meliorum temporum; postremus

Nicolaus Heisling, Stadenfis,
Magnifici Consulis filius optimæ spei, de jurejurando, quo cives in principis sui verba jurant, & obsequium ac fidem promittunt, quilibet pro captu suo verba faciet. Hos oratores juvenes, ut Perillustres & generosissimi Augusti Regis purpurati atque Consiliarii, Senatus Amplissimus, summe Reverendi Sacrarum litterarum doctores, omnesque litterarum ac rei Scholasticæ Patroni, Mæcenates, fautores, amici, atque cultores, crastino die, hora sæ meridie secunda peroratuuros, clementer ac benignissime audiant, omnes ac singulos, propter sacra atque solennia auspiciatissimi hujus diei, & propter cultum atque obsequium, quod omnes Regi clementissimo debemus, humillime decenter & omni qua decet humanitate oro, obsecro, atque obtestor.

P. P. Stadæ d. Septembris.
A. R. S. clo lxxx xxix.